

1720, 9 42
FACULTATIS JURIDICÆ DECANVS
ERNESTVS TENZELL,

JCTVS,

CONSILIARIVS REGIMINIS ELECTORALIS,
JVDICII PROVINCIALIS ERFVRTENSIS ASSESSOR, ET
CIVITATIS CONSVL PRIMARIVS, ET RELIQ.

AD LECTIONEM CURSORIAM

SVPER

L. fn. C. de Stellionatu.

Hacque finita

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

PROCESSU DESERTIONIS
IN FORO SAXONICO,

A

Nobili & Clarissimo Jurium Candidato,

DOMINO

JOHANNE CHRISTIANO *Essenberger*

ZITTAV. LUSAT.

D. XVII. MAJI, A. MDCCXX.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

HABENDAS,

Omnium Ordinum Auditores decenter invitat,

Et simul,

De

DEFRAUDATIONE CIRCA CONVENTIONES

Nonnulla differit.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Academiæ Typogr.



Anta haud raro mortalium perversæ libidini indulgentium est ferocia, ut neglectæ legum, tanquam vinculi in vita sociali & civili, ad veram libertatem, communemque vitæ salutem necessarii, vi ac auctoritate, illam voluntatis suæ licentiam affectent, quæ omnem ordinem dirumpere, omnem obedientiam dissolvere conetur. Et quæ aperte vel non audent, vel præstare nequeunt, ea fraudibus ac astutiis tentant, ut adeo sancta illa ac venerabilis Justitia, quæ suum cuique tribuendo, omnium virtutum Regina esse debebat, iniquissimis vitiorum maculis aspersa sæpius appareat, lufibus quasi malevolorum exposita. Sic enim mirè se nonnunquam exercet ingenium humanum, ut astutè vi legum elusâ, illa quæ istis prohibentur, & ad quæ plenis fertur impetu, impunè committat, cum interea nihil minus, quam legibus repugnare, videri velit. Ut igitur firmio.

miori fides humana, quæ in negotiis & contractibus
fatis sæpe lubrica est, firmetur vinculo, jura admodum
sollicita fuerunt, cautiones certas inveniendò, per quas
tandem securi reddamur de eo, quod quis promissit.
Modo enim jurisjurandi religione, modo fidejussori-
bus, modo pignorum accessione ad promissa servan-
da, adstringi homines solent. Quæ tamen omnia quan-
tam in negotiis sæpe securitatem præstent, quotidia-
næ de omni etiam cautionum genere lites, & dubii
haud rarò, imò tristes, qui illas sequuntur, litis eventus
testantur. Haude equidem negari potest, illicitas etiam
non rarò à creditoribus adhiberi cautiones atque cau-
telas, usurariam palliantes pravitatem. Cum tamen
qui contra fas & justum immodicum lucrum quærunt,
iram ac vindictam Divinam, quæ illos odio habet, qui
misericordiæ inimici, fratrem mordent, evitare vix
possint. Neque enim quod in fraudem legis commit-
titur, l. 29. & 30. ff. de LL. legitimæ providentiæ, no-
men unquam mereri poterit. Ut adeò mirari posses,
non deesse Jctos, & Legum Professores, qui fraudu-
lentas cautelas docere, ac subministrare haud erube-
scunt, quales e. g. proponit *Cæpolla Cautel.* 18. 90. & 208.
De quibus callidis machinationibus, in fraudem legum
adhibitis, *Brunnem. Proc. inquis. c. 8. memb. 1. n. 57.* no-
tat, quod tales cautelæ in hac vitâ ad gloriam, in fu-
turâ ad gehennam ædificent. Ita legi fraus fit, dum
turâ fingitur vel simulatur, alius celebratur contra-
ctus. Qualem subesse, ubi nimix, & insolitæ adhiben-
tur à contrahentibus Cautelæ, meritò suspicio oriri so-
let, adeò, ut quo plus Cautelæ, plus fraudis subesse cre-
datur,

datur, & insolitæ clausulæ suspectum reddant contra-
ctum, vid. *Tiraqu. de retract. convent. præfat. n. 18. Brun-*
nem. Cent. 3. Dec. 77. n. 6. Coler. de Proc. Exec. p. 1. c. 10.
n. 2. Nec tamen & hic subsistendum. Tolerari quip-
pe in jure nostro quædam videmus, quæ vix æquita-
ti conveniunt, nec in foro conscientiæ securitatem præ-
stant. Quales captiosas cautelas, in præjudicium, &
damnum alterius interpositas, non esse ferendas, no-
tat *Gail. de Arrest. c. 2. in fin. & c. & C. 11. n. ult.* Sic e-
nim Jura non omne quod licet, honestum esse pro-
nunciant in *l. 144. §. 2. ff. de R. l.* Cum enim Reipu-
blicæ status moribus nostris ita sit comparatus, ut in
ista deperdita plerorumque hominum conditione,
non omnia, quæ inhonesta, & turpia sunt, extermina-
ri legibus humanis possint, toleranda fuerunt qua-
dam, quæ conscientiæ hominum relinquuntur; Ad
quæ meritò referimus quæ de toleranda iniquitate le-
gis Commissoriæ in emtione venditione Jura Roma-
na habent. Damnant quippe pactum legis Commis-
soriæ pignori adjectum, aliud circa emtionem vendi-
tionem statuentes. Sed ecce mutuos accepit quis
quingentos thaleros, pignori data domo, quæ erat
pretii vix, vel parum majoris, addito pacto legis Com-
missoriæ, ut nisi intra tres annos restitutum mutu-
um, domus addicta esse Creditori debeat. Impro-
batur hoc pactum, & legibus adversum judicatur.
Sed Titius qui Sempronii domum pro pretio 700.
th. emit, 100. thaleros statim solvit, & residuum pre-
tium intra anni spatium solvere promisit, addito pacto
commissorio, ut nisi stetur pacto, res non solum in-
emta,

emta, sed & pars pretii soluta perdita esse debeat. Valeat Jure Civili tale pactum. An verò prius, an posterius majorem continet iniquitatem, præsertim si venditor sit pauper, emtor vero dives? Nec est ut objicias: damnatum quod quis sua culpa sentit, non sentire videri, & volenti non fieri injuriam: Quare enim nec idem priori casu dicendum? Econtra si quis rem alii jam oppignatam rursus pignori ignoranti dederit, & ita bis oppignoraverit, crimen extraordinarium stellationatus committi, *L. ignorantia fit. C. de Stellationat.* generaliter asserit; cum tamen nihil criminis subfit, si res oppignorata utrique sufficiat, per *L. 36. §. 1. ff. de pignor. act.* Elegit explicandam istam *L. ignorantia fit. C. de stellationat.* in Lectione sua Cursoria,

Nobilis & Clarissimus Jurium Candidatus, Dominus

JOH. CHRISTIANUS Effenberger.

Natalem is debet suum *Zittavia*, Lusatia Superioris Urbi, & literis & Mercaturæ celeberrimæ; ubi lucem aspexit primam die 24 Junii Anno 1690. Patrem habuit CHRISTIANUM EFFENBERGERUM, Civem honestum. Matrem, MARIAM WESKIAM. Quibus tamen ante 12. & quod excurrit annos orbatus, DEI providentiâ alium quasi Patrem veneratur Prænobilitis & Consultis. Dn ULRICUM, J. U. L. & Reipublicæ Zittav. Prætozem meritisimum, susceptorem, filiali ocservantiâ colendum; nec non Prænob. Dn. GUNTHERUM, J. U. L. & laudatæ Reipubl. Senatorem, quibus & educationem & fortunam omnem inter homines se debere, grato animo fatetur. Post-

tis primis literarum fundamentis , informationi Dn. KNEBELII Collegæ Gymnasii patrii ultimi , nunc sexti , post b. Dn. WEISII Rectoris celeberrimi , Dn. M. MIRI, Conrectoris, b. Dn. CURTII, ejusdem successoris Dn. M. PIETSCHMANNI, Dn. M. ZIEGERI, Cantoris, b. Dn. CRANZII. & Dn. RUCCKRI, concreditus fuit. Amiffa Matre, post invasionem Svecicam, a Patronis supra memoratis, ad Lyceum *Laubanenſium* miſſus, ibi Præceptores, & Benefactores invenit b. Dn. M. HOFFMANNUM, Rectorem meritifs. & Dn. M. GUMPRECHTUM, Conrectorem, nunc verò Rectorem digniſſimum. Inſimul Prænobilis. & præclaris. GUNTHERORUM familia eundem tantis excepit beneficiis, de quibus illa nunc non prædicare, religioni ſibi ducit. Qualia pariter de Prænobili Dn. KLETTWIGIO, nunc Laubanenſium Conſule optime merito, nec non Dn. TRILLERO, Jur. Præſt. refert. Poſt diſceſſum b. Parentis inde anno & quod excurrit, elapſo, in patriam revocatus, rurfus in Gymnaſio primæ claſſis civis, Rectore Domino M. HOFFMANNO, factus eſt. Cujus tandem & Patronorum conſilio, ſtudio Juris operam navare cœpit, & quidem ductu Dn. ZUERNERI, Juris Præſt. celeb. nunc Senatoris meritifs. ſec. methodum ſynopſeos *Philippi ad Inſtit. Juris*. Poſt annum 1712. celeberr. Jenenſium Univerſitatem acceſſit, ibidemque in numerum Studioſorum receptus, in Philoſophicis b. Dn. M. HAMBERGERUM, Mathem. P. P. & Dn. M. BOYUM, Facult. Philoſ. Aſſeſſor. audivit. In Juridicis, omnium Profeſſ. Collegia publica, privata verò Dn. D.


D. HERTELII, & Dn. D. DIETMARI, assidue frequentavit. Elapso biennio jussu patronorum ad musas *Vittebergenses* transit, ibidem Mæcenates ac Patronos inveniens quamplurimos, præter intentionem per sexennium moratus, & in promovendis studiis continue occupatus fuit, donec prævia commendatione Consultifs. Dn. GRIEBNERI, S. Reg. Majest. Consil. Aulici & P. P. Aô 1716. à Viro Prænob. Dn. D. FEMMICHIO, Regio Procurat. Steurarum, Universitatis Proto-Notario, & Curiaë Provincialis nec non Consistorii Advocato Ordin. primùm in Praxi via ipsi aperta, post Aô 1717. præstito Juramento ad vices Actuarii circa Acta Academica adhibitus. Indè circa finem d. anni in Patriam revocatus fuit. Sed ex Consilio Patronorum suppeditatis ab Amplissimo Zittaviensium Senatu subsidiis, *Vittebergam* aô. 1718. rediit, ac Notarius Cæsar. creatus, examen pro Praxi exercenda sustinuit, & impetrato desuper testimonio, Dresdam petere ipsi animus fuit. Sed occasio benevolo affectu Consultifs. Dn. D. HELLI, Consil. Ducis Saxon. Assell. Facult. Jur. Celeberr. Advoc. Curiaë Provinc. & Consistorii Ordin. quem Patronum veneratur summum, ultiores in Praxi faciendi progressus, eundem hucusque retinuit. Et cum suavis supra laudatorum Patronorum ad honores aspirare academicos commodum esse videretur, nos accessit, desiderium suum Facultati nostræ exponens, ac ut ad examen quod vocant rigorosum, & reliqua Specimina Inauguralia admitteretur, petiit. Annuit Facultas nostra honesto huic petito, & transmissis ex utroque Jure textibus, ad ipsum examen tempus dedit.

Cum-

Cumque ibidem scientiam in Jure acquisitam satis probaverit, admissus est ad ulteriora specimina inauguralia. Quare proximo die Veneris 17. h. Maji in Auditorio Jctorum Majori, horis consuetis, Lectionem curriculum ad d. l. *Ignorantia f. C. de Stellion.* hâcque finitâ Disputationem Inauguralem de

PROCESSU DESERTIONIS IN FORO
SAXONICO,

habebit, ad quos actus solennes, Magnif. Dn. Rector, & reliqui Universitatis nostræ Proceres ac Cives, decenter invitantur. Publicatum Dom. Exaudi d. 12. Maji Anno MDCCXX.



77-α (1+12)


56.

ULB Halle 3
004 997 492



WDIP







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Inches

Centimetres

1720,9

42

FACULTATIS JURIDICÆ DECANVS
ERNESTVS TENZELL,
JCTVS,

CONSILIARIVS REGIMINIS ELECTORALIS,
DICI PROVINCIALIS ERFVRTENSIS ASSESSOR, ET
CIVITATIS CONSVL PRIMARIVS, ET RELIQ.
AD LECTIONEM CURSORIAM
SVPER

L. fin. C. de Stellionatu.

Hacque finita

AD
DISSERTATIONEM INAUGVRALEM
DE

PROCESSU DESERTIONIS
IN FORO SAXONICO,

Nobili & Clarissimo Jurium Candidato,

DOMINO

IOHANNES CHRISTIANO *Offenbergeri*

ZITTAV. LUSAT.

D. XVII. MAJI, A. MDCCXX.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

HABENDAS,

Omnium Ordinum Auditores decenter invitat,

Et simul,

De
FRAUDATIONE CIRCA CONVENTIONES
Nonnulla differit.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Academiæ Typogr.